DE CANCELLARII MVNERE ET DIGNITATE

TAM IN REGNIS, ET DVCATIBVS, QVAM IN ACADEMIA Lipsiensi,

ORATIO

MATTHAEI DRESSERI,

Habita in renunciatione Magistrorum Lipsiæ XXIIII. Ian.

ANNO M. D. XCIIII.

MICHAEL LANTZENBERGER
IMPRIMEBAT.

REVERENDIS, MAGNIFICIS, ET GRAVISSIMIS VIRIS, NOBILITATE, DOCTRINA, ET VIRTVTE PRÆSTANTIBVS, DOMINO PRÆPOSITO, CANCELLARIO, DECANO, SENIORI, AC TOTI CAPITVLO cathedralis eccleſiæ Martiſpurgenſis, dominis ſuis obſeruandis.

MITTO AD VOS, Reuerendi, nobiles, magnifici, ornatißimiq́ viri, orationem, quam de Cancellario Academiæ Lipſienſis in actu licentiæ & renunciationis Magiſtrorum habui. Cauſæ autem, quare id faciam, multæ quidem ſunt, ſed vna illa grauißima, vt qua fide, quaúe diligentia munus procancellarij, quod illuſtriß. Ducis Sax. Ioannis Georgij, poſtulati epiſcopatus Merſepurgij adminiſtratoris nomine, in hoc tempore mihi dediſtis, executus ſim, cognoſcatis. Veſtri enim epiſcopatus munus hoc eſt proprium, inde ab eo vſq; tempore, quo Academia ab illu-

ſtriſſimis Sax. Ducibus, Friderico & Guilelmo fratribus fundata, à pontifice verò Alexandro V. confirmata, & priuilegijs decorata eſt. Vobis igitur acceptam referimus poteſtatem omnem examinandi & creandi Magiſtros, quam delegare ſiue transferre ad nos in communitate philoſophica ſoletis. Pro qua gratiam nos etiam debere vobis immortalem iure & merito profitemur.

Reperio autem in hiſtorijs tria inſignia Merſepurgi decora, quorum primum eſt politicum. Fuit enim hæc vrbs propugnaculum Rom. imperij aduerſus Sclauos, Normannos, & alios barbaros inde vſq; à Claudio Druſo, quem Auguſtus imperator in Germaniam cum exercitu miſit. Secundum ornamentum eſt eccleſiaſticum. Fuit enim in hac ipſa vrbe epiſcopatus inde ab anno Chriſti 968. ab Othone Magno fundatus, vt Chriſtianæ religionis & fidei præſidium ac firmamentum aduerſus Sorabos, & alios Chriſtiani nominis hoſtes eſſet. Ab eo

igitur

igitur tempore doctrinã de Deo, & filio eius, Domino nostro Iesu Christo continenter in his oris ad Salam, Myldam, Elystrum, & Plissam propagauit.

Tertium decus est Academicum, nempe Cancellarij munus & dignitas in hac Academia, quæ, quanta sit, & quando cœperit, hac oratione demonstrare conatus sum. Fateor autem tenue magis esse hoc munusculum, quàm vt amplitudinibus vestris conueniat. Et tamen quia episcopatus vestri proprium est: tanquam domesticum præconium vos illud recepturos esse, pro vestra insigni æquitate, planè confido. Quod si liberet, aut etiam liceret in hoc exiguo argumento vestrarũ amplitudinũ vel laudes recensere, vel merita oratione persequi: copiam facultatemq́; magnam mihi ipsa rerum magnitudo largiretur. Perspecta est, tua inprimis, domine præposite, Ioannes à Nostitz, multarum rerum memoria, cognitus complurium negociorum vsus. Itaq; non immerito id elogium

 tibi

tibi tribui potest quod magno viro adsignat Homerus:

πολλῶν ἀνθρώπων ἴδες ἄστεα, καὶ νόον ἔγνως.

Oppida multorum nosti, moresq; probasti.

Celebratur etiam multorum fama, tua, domine cancellarie, Gabriel Schütz, erudita sane sapientia, sermonisq́ singularis suauitas: ut verè in te alius eiusdē authoris versus quadret:

σοὶ δ' ἔνι μὲν μορφὴ ἐπέων, ἔνι δὲ φρένες ἐσθλαί.

Mente vales, iuncta est facundis gratia dictis.

Ut nihil dicam de eximia prudentia, authoritate, & mirifico rerum vsu domini Decani, Senioris, & aliorum Canonicorum: quibus vniuersis & singulis studium meum eximium ac singulare polliceor, ac vt gratum acceptumq́ hoc scholasticum munus habeatis, etiam atque etiam oro. Lips. Calend. April. ann. XCIIII.

Matthæus Dresserus
vtriusq; linguæ, & historiarum Professor.

De CANCELLARIO ACADEMIÆ LIPSENSIS

Oratio.

INitium pium & sanctum huius philosophici actus faciam, DEO in primis acceptum, nobis verò omnibus honestum & salutare. Quid autem sanctius honestiusq́; est, quàm in sapientiæ actu sapientiæ omnis authorem ac fontem appellare, ab eoque auxilium & successum petere? Quocirca ad te ora vultusque nostros conuertimus, æterne & viue DEVS, æterne pater Domini nostri IESV CHRISTI, votis intimis precibusque supplicibus orantes, vt ingressis nobis in hoc sanctum renunciationis hodiernæ opus tuo Spiritu sancto adsis, nostrasq́; mentes & linguas modereris, vt grata tibi, nobisq́; vtilia sentiamus & dicamus, tui sanctissimi nominis gloriæ, & communis Ecclesiæ atque reipub. Christianæ salutis causa.

Hoc fundamento iacto alieni nihil à proposito dicam, sed in explicatione potestatis licentiæque tribuendi honorem ac titulum magisterij orationem omnem consumam. Iustum enim esse arbitror, vt cuius personam sustineo, eiusdem authoritatem

tuear.

tuear. Agó autem in hoc actu partes reuerendissimi præsulis Mersepurgij, ad quem potestas examina instituendi, gradusque gubernandi, omnis iam ab initio Academiæ translata est. Dicam igitur de hoc amplissimo munere cancellarij, tam in regnis, & Ducatibus florentibus, quàm in hac etiam Academia, vnde sit, quando cœperit, quamq; vim & authoritatem habeat. Quod vbi expediero, potestatem dandi & accipiendi gradum Magisterij impertiam. Vos facietis, princeps illustriss. Rector magnifice, viri nobilissimi & literatissimi, studiosiq; amantissimi, vt vestra in me attentè audiendo benignitas orationem meam prouehat.

Vetustæ sunt appellationes magistri scriniorum, notarij, secretarij & cancellarij, frequentissimè in imperio Rom. vsurpatæ. Quod liquet ex scriptis Spartiani, Sidonij Apollinaris, Cassiodori, & id genus aliorum. Scriniorum enim magistri meminit Spartianus in Aelio Vero, quod ille imperatori ex prouincia redeunti orationem pulcerrimam parauerit. Apparet eundem etiam magistrum epistolarum esse appellatum.

Notariorum verò dignitas ea fuit, vt ex eorum ordine consules, & præfecti prætorij creati sint, vt Marcellinus lib. 28. memorat. Secretarij vox apud Flauium Vopiscum extat pro notario secretorum, cuius officij munus erat, occulere monumenta chartarum in armarijs, eaque dissimulare, quasi qui sciens nesciat.

Cancellarij nomen idem Vopiscus in Caro imperapera-

peratore ponit, cum ait: Vnum ex cancellarijs factum eſſe vrbis præfectum. Initium autem vocis eſt factum ex cancellis, quibus ſcribarum conclauia diſtinguebantur. Cuiuſmodi hodie etiam ex ferro, vel aurichalco, vel ligno facta in ſcriniorum conclauibus cōſpiciuntur. Apparet autem ex lege quadam ſalica, apud Francos cancellarij nomine appellatos eſſe omnes ſcribas in cancellis, ſiue publicis, ſiue priuatis ſedentes. Poſtea verò vſus obtinuit, vt non niſi primarij notarij, ſiue principes ſecretariorum, qui græcis ſunt ἀρχιγραμματεῖς, cancellarij nominarentur. Alciatus quidem in Rub. C. de primicerijs lib. 12. ſcribam principis primicerium nominat, quod eſt, ſi interpreteris, idem quod primus honore inter notarios. Zaſius verò ſcribit, tales ſiue libellorum magiſtros, ſiue ſecretarios, ſiue ſacri ſcrinij proximos, ſiue cancellarios dicas, magno ſemper honore & loco apud principes fuiſſe, quaſi vicarios eorum: ac ſi integrè caſteq; in officij munere aliquandiu verſati ſint, ſacri palatij dignitate ornatos fuiſſe. Id quod apud Chriſtianos etiam imperatores obſeruatum fuiſſe ex hiſtorijs ſcimus. Nam Henrici I I I. imperatoris cancellarius, pontifex ſummus creatus eſt, Clemens I I. dictus. Nicolaus item Lubecenſis ex cancellario Friderici Saxoniæ Ducis antiſtes Merſepurgius eſt factus.

Ac ſi reſpicere volumus, & ſpacium præteriti temporis vltimum repetere, reperiemus in vtriuſq; teſtamenti veteris & noui hiſtoria, cancellarij nomen vſurpatum eſſe. Nam 1. Paralip. 19. Ioſaphat cancellarius in aula Dauidis optimè conſtituta di-

ſertè nominatur. In nouo verò teſtamento cap. 19. Actorum apoſtolicorum cancellarius tumultum Epheſi ob Dianam ex concione Pauli concitatum oratione ſapienti & graui compeſcit & ſedat. In Italica vèrò hiſtoria cancellarij multi à Caſſiodoro nominantur. In Romana Petrus de Vineis eminet, cuius volumen epiſtolarum extat, vt vnum de multis, cauſa breuitatis, proferam. In hiſtoria Alberti imperatoris memorabile eſt, quod de cancellario illius ſcribitur. Cum enim imperator nullis precibus coronationem à Pontifice Rom. impetrare poſſet: cancellarius eius obliqua, vt ſic dicam, valde tamen arguta oratione durum pontificis animum flexit atque placauit. In omni re, dixit cancellarius, cauſa antecedit effectum, effectus verò finem, quemadmodum DEVS antecedit cœlum, cœlum verò inferiores mundi partes. Ergo, tu beatiſſime pater, cum cauſa mouens ſis, imperator verò exequens, pax tandem finis vniuerſi: leua manum tuam, & aquila eleuabitur, exequeturque motus tuos.

De officio autem cancellarij hæc in Caſſiodoro habentur præclara ac memorabilia: Quoniam crederis omnes induſtria fideq; ſuperare, ideo cancellorum tibi decus attribuitur, vt conſiſtorij noſtri ſecreta, fideli integritate cuſtodias, per te præſentandus accedat, per te noſtris auribus deſiderium ſupplicis innoteſcat, iuſſa noſtra ſine ſtudio venalitatis expedias, omniaque ſic geras, vt noſtram poſſis commendare iuſticiam. Et in alia epiſtola idem author de cancellario ait: Perſona tua refugium ſit

oppreſſi,

oppressi, infirmi defensio, præsidium aliqua calamitate concluso. Sic enim cancellos agis, si læsorum impia claustra soluas.

Huius amplissimi muneris vis tanta est, vt non solùm in imperij Rom. visceribus remanserit, sed etiam ad alia florentissima regna penetrarit. In ipso quidem imperio cancellarius habetur archiepiscopus Moguntinus, VIIuir imperij. Et quia ipse tanti muneris negocia obire omnia minus potest: vicarium habet, qui à latere imperatoris ferè non discedit, & procancellarius imperij appellatur. Huius archicancellarij officium in aurea bulla expressum est, conuocare scilicet per suos nuncios, patentibus literis, principes Electores ad eligendum imperatorem, quoties sedes imperatoria vacare cœperit, infra tres menses continuos. Aduocare item senatum imperij, quoties id imperatori videtur expedire reipub. Tum in ipso etiam conuentu siue senatu imperiali, velut os siue orator imperij, causas exponit, suffragia colligit, & decreta promulgat. Quam potestatem imminuere & labefactare studens. Pius II. papa, Aeneas Syluius antè dictus, Dithericum Isenburgium Moguntinæ sedis archiepiscopum, imperijque archicancellarium loco mouit & excommunicauit, propterea quod promittere noluisset, se nunquam conuocaturum esse principum Germaniæ concilium, nisi consulto prius & assentiente pontifice. Vicarius autem archicancellarij imperialis hodie est Iacobus Curtius à Senftenau, qui in Cæsaris aula consiliorum & actionum omnium

ad decus, incrementum, atque ſalutem imperij pertinentium adminiſter eſt.

Imperij more etiam exteræ nationes ſuos cancellarios habent, quorum authoritate & oratione regni conſilia gubernantur, leges conſeruantur, vt ius æquabile inter omnes & vnum omnibus eſſe poſſit. In Polonorum regno quaſi lumen aliquod elucet Ioannes Zamoiſcius, cancellarius magnus, cuius eloquentia, & rei militaris ſcientia totum regnum indies magis ſplendeſcit. In Daniæ regno Nicolaus Caas cancellarius eminet; & ſua eruditione, ſapientia, atque induſtria eximia atque ſingulari regno toti decus ac laudem ſempiternam conciliat. In Sueciæ regno inſigne decus & ornamentum eſt Ericus Sparre cancellarius, qui & deliberationes omnes regit, & oratione graui ſapientique ampliſſima negocia exequitur. In vicino Boiemiæ regno Adamus à noua domo cancellarius eximia laude virtutis, eloquentiæ atque induſtriæ conſpicuus eſt. Geſtit animus etiam noſtros perſequi cancellarios: Dauidem Peiferum in primis, qui ad iudicandi dicendique facultatem admirabilem etiam eruditionem ac ſcientiam incredibilem linguarum & hiſtoriarum adiunxit, & fide, prudentia atque integritate commemorabili res Saxonicas in ſenatu Septemuirali adminiſtrat. Sed parcendum eſſe huic viuo, non minus quàm reliquis præſtantiſſimis viris ſuperſtitibus iudico. Hos verò illuſtri quadam laude celebratos attingere ſaltem libuit, vt ex paucis nominatim commemoratis iudicium fieri

facili-

facilius de genere toto possit. Atque hos hactenus ex historijs, tanquam flores delibare facile fuit.

At de Academiarum cancellarijs, & quando, quoúe consilio huic Academiæ præsul Merseburgensis cancellarius sit datus, multò difficilior est explicatio. Etsi enim neque huius, neque aliarum Academiarum fundatio obscura est: tamen de gradibus & dignitatibus in Academijs nimis pauca, & pæne dixerim nulla in historijs reperiuntur. Apparet autem cancellarios primum Academijs esse attributos à pontificibus Rom. vel flagitantibus, vel permittentibus fundatoribus, ob causas complures, primum vt reuerentia aduersus pontificem Rom. quem caput ecclesiæ, & custodem omnis religionis esse credebant, adhiberent. Deinde vt consensum doctrinæ tuerentur, tum vt authoritatem Academijs quandam adiungerent.

Ordinum quidem & graduum in Academijs authorem credo Carolum Magnum extitisse. Tanta enim illius pietas, & in literas bonas amor fuit, vt quibuscunque rebus potuit scholas honestarit. nec opinione solum, sed ad veritatem etiam mihi persuadeo, hunc ipsum ad pontifices omne iudicium de doctrina in Academijs transtulisse. Idque eo potissimum tempore factum est, quo maior erat pontificum & præsulum pietas, simplicitas, atque integritas. Nondum enim ambitio & regnandi cupiditas tanta eos incesserat, quanta post inuasit.

Oppleuerat iam tum opinio animos omnium principum, & subditorum, non posse Academiam

ullam èsse firmam, fixam, aut ratam, nisi pontificis Rom. consilijs, & institutis stabiliretur. Hac ergo persuasione impulsus Carolus Magnus, pro suo iudicio acerrimo facile perspexit Academiæ suæ Parisiensi doctis viris & liberalibus studijs affluenti ordine opus esse. Ordo autem studiorum gradus requirit, quibus discentes & docentes discernantur. Gradus porro sine testimonijs publicis existere non possunt. Ad testimoniorum veritatem doctrinæ exploratio necessaria est, quæ in examinibus fieri solet. Examinibus verò præfici oportuit censores, qui iudicium de doctrina cuiusque facerent. Intererat autem tunc reipublicæ Christianæ non parum, doctrinæ consensum in Academijs sartum tectum conseruari. Itaque præficiebantur examinibus à pontifice ordinati præsules, abbates, vel episcopi, tanquam inspectores & moderatores examinum. Eratque eorum munus hoc velut proprium, non solum de studijs doctrinæ iudicare, sed potestatem etiam dare impertiendi & recipiendi testimonia, gradus ac titulos omnibus, qui in examine solertes sese gesissent.

Ac vt ordine maiori iudicium de doctrina fieri posset, primum bacellarios siue bacularios crearunt eos, qui Longobardi sententias didicerant, per baculi scilicet exhibitionem siue traditionem, quo ab alienis distinguebantur. Quem morem verisimile est ex veteri Romanorum, vel certè Francorum, aut Gothorum, atque Longobardorum ritu promanasse. Qui verò has ipsas summulas siue sententi-

tenti-

tentias à Longobardo collectas vicissim alios docuerant, his Doctoris titulus attribuebatur. Quod autem Parisijs primum in Gallia factum, idem non multo post Bononiæ in Italia cœptum est, vt qui rhapsodiam à Gratiano editam didicisset, aliosque vicissim doceret, is Doctoris titulo insigniretur. Fateor hæc ex interuallo aliquo Carolum Magnum secuta esse. Parisiensis enim Academia initium ab anno Christi 791. duxit, authore Carolo Magno, doctoribus verò seu professoribus celeberrimis, Rabano, Alcuino, Claudio, Clemente, & Ioanne Scoto, Bedæ discipulis. Magister sententiarum verò Petrus Lombardus circa annum Christi 1159. sententias suas demum edidit. Hoc tanto temporis interuallo consentaneum est non prorsus sine ordine & gradibus in Academia tractata esse doctrinæ studia, sed aliqua fundamenta graduum & titulorum iacta esse, quamuis non ita expressa, vt sequentibus ætatibus accidit. Quemadmodum nec Lombardi & Gratiani tempore omnia, quæ ad honores ac titulos in Academijs necessaria erant, constituta sunt, sed paulatim posteriores ætates aliqua adiecerunt, quibus hodie vtimur.

Ornarunt autem pontifices Academiæ inspectorem, examinumque moderatorem splendido titulo, & Cancellarium appellari voluerunt, vt plus authoritatis esset in nomine, & ius aliquod in omnes Academias ipse pontifex sibi vendicaret. Fuit enim cancellarius Academiæ, quasi vicarius pontificis, siue orator & moderator consiliorum: examinum

minum, & actionum Academicarum. Hoc enim ius tandem in omnes Academias obtinuerunt pontifices, vt per ſuos cancellarios, tanquam per vicarios, examina gubernarent, iudicium de doctrina facerent, & conferendi teſtimonia ſiue gradus poteſtatem darent. Qualis etiam huic Academiæ ab Alexandro V. Rom. pontifice datus eſt, poſtquam anno 1409. bonis initijs orſa, priuilegijs ac immunitatibus præclarè munita fuit. Præcedente enim anno, qui erat milleſimus quadringenteſimus octauus à nato Saluatore mundi, Pragenſis Academia, ex qua hæc Lipſica tanquam ſoboles propagata eſt, propter inteſtinas diſſenſiones dilapſa, viginti millia ſtudioſorum intra octiduum amiſit, vt chronicon Boiemicum habet.

Cum autem diſſidium omne ex odio quodam Boiemorum in Germanos, qui ad illud vſq; tempus primas partes in illa Academia tenuerant, pæne ortum eſſet: accidit diuino prorſus conſilio, vt velut exulantes Germani ad Sax. principes Fridericum & Guilelmum profugerent, & ſe in gremium atque tutelam recipi ab illis peterent. Erant iam tum coniecti multorum populorum oculi in Fridericum Sax. Ducem, qui ex rerum in bello geſtarum magnitudine bellicoſi cognomen inuenerat. Nec tamen belli magis cupiditate, quàm literarum amore ardebat. Iccirco gaudente animo Muſas profugas recepit, illiſque in hac metropoli Ducatus ſui domicilium ac ſedem præbuit. Aperta ſunt ſtatim duo collegia, vnum in equeſtri, quod Maius, & alterum

terum in Petrino vico; quod minus appellabatur. Ac ne ſtipendia docentibus literas deeſſent, cenſus ex ærario ſuo vterque princeps primum conſtituit, ac maiori quidem collegio duodecim, minori verò octo collegæ præfecti ſunt, qui non ſolum ſtudia diſcentium regerent, ſed inſpectores etiam & præſides collegiorum haberentur.

Venerant ſimul tanquam duces ſtudioſi agminis duo præclariſſimi viri, vnus Ioannes Hofman Suuitnicenſis, qui Rector Pragæ fuerat, & anno 1411. epiſcopus Miſnenſis factus eſt. Alter Ioannes Otho Munſterbergenſis collegij S. Mariæ in hac Vniuerſitate fundator, primus Rector nouæ Academiæ extitit. Hi quaſi ſolum quoddam & fundamentum Academiæ poſuerunt. Iccirco memoria & recordatio illorum iucunda nobis & omnibus poſteris eſſe debet. Priuilegia autem Rom. pontifex Alexander V. non grauatè impertiuit. Oderat enim is nouam ſectam Huſſitarum, & quia eidem etiam Germani infenſi atque inimici erant: fore ſperabat, vt exorientibus nouis Academijs in Germania facilius Huſſi doctrina ex finibus Chriſtiani orbis exterminaretur. Publicatum eſt pontificium diploma prid. Calend. Xbris in æde Thomiana, magna religioſorum, & primariorum virorum frequentia. Cancellarium autem Academiæ idem pontifex tribuit antiſtitem Merſepurgium, tanquam patronum, qui de gradibus curam adhiberet, prouideretque, ne honores ac teſtimonia diſcentibus in Academia deeſſent, ſed licentia docendique facultas in ſingulis diſciplinis tribueretur ijs, qui in examine iuſto

dignos ſe titulo aliquo præbuiſſent. Academiam verò ipſam, vt par fuit, latere in tutela ac præſidio principum Saxoniæ voluit, quemadmodum in diplomate fundationis Academiæ, quod anno ſalutis reparatæ 1412. ſcriptum eſt, habetur.

Examen porro ſapienti conſilio & ordine inſtitutum pietatis, eruditionis, & grauitatis multum continet. Incoatur enim à ſeria nominis & auxilij diuini inuocatione. Et ne quis ex candidatis ad magiſterij honorem admittatur, qui à religione Chriſtiana & orthodoxa opinionum diſſenſione diſcrepet: in primis exquiruntur doctrinæ cœleſtis capita, & quid de Deo & ſancto eius verbo vnuſquiſq; ſentiat, exploratur. Tum demum philoſophicæ doctrinæ circuli, logicus, phyſicus, ethicus, & mathematicus ſuſcipiuntur: vt quantum in ſingulis profecerint aut conſecuti ſint candidati, cognoſci poſſit. Prior hæc explorationis pars tentamen veteri vocabulo appellatur: quo finito, φωτισμὸς adhibetur, ſiue illuminatio, ſiue candelarum actus, in quo candidati in Academiæ procerum & hoſpitum conſpectum adducuntur, veſperi, in magorum die, accenſis candelis & facibus, accinriturq; ex Eſaiæ vaticinio textus cap. 60. de Chriſti aduentu in carnem ad illuminandum omnem hominem venientem in hunc mundum, vt Ioan. 1. ſcribitur. Tandem hymnus Auguſtini & Ambroſij additur ad laudem Dei patris, Filij, & Spiritus ſancti accommodatus. Etſi autem talis φωτισμὸς ſiue illuminationis ritus ad eccleſiam potius, quàm ad philoſophicam ſcholam pertinet: tamen pium eſt ad philoſophiam profitentes eundem

eundem etiam applicare. Idq; propter ὁμολογίαν ſeu conuenientiam nominis & profeſſionis, quæ in magis & magiſtris philoſophiæ deprehenditur. Quemadmodum enim magi philoſophia non contenti lucem inſuper veram, qui eſt Ieſus Chriſtus, diuinitus excitati quæſiuerunt: ſic magiſtri etiam cum doctrina literarum humaniorum & politiorum coniungere debent cœleſtis doctrinæ ſcientiam, ſine qua omnis ſapientia humana obſcura eſt, tenebricoſa, & caliginoſa, non diſſimilis laternæ carenti lumine. Non immerito igitur, accenſis facibus, vota in hoc actu fiunt, vt diuinitus illuſtrentur philoſophantium mentes, quo non ſolum artium & diſciplinarum doctrinam rectè percipiant, ſed Deum ipſum etiam, &, quem miſit, Ieſum Chriſtum, verè cognoſcant, & colant. Eſt enim lux nihil aliud, quàm vera noticia Dei, & earum rerum, quas Deus vult à nobis expeti & conſiderari. Et quo quæq; res lucidior eſt, eo præſtabilior & diuinior habetur. Quare cum philoſophia neceſſariò lux coniungitur, quæ mentes excitet, illuſtret, & expoliat, vt authorem & fontem verum omnis ſalutis, ſapientiæ, & doctrinæ rectius cognoſcere & colere poſſint.

Peracto hoc illuminationis ritu, ſtatim ad examen publicum admittuntur candidati, & quantum in vtriuſque linguæ, rhetorices, & poëtices ſtudio exercitationeq; conſecuti ſint, exquiritur: pæne ad eum modum & ordinem, quem Ariſtoteles in docendo ſecutus eſt, qui rerum quidem ſcientiam matutinis horis, eloquentiam verò veſpertinis tradidit. Ex quo illa ἑωθινὰ matutina, hæc verò δειλινὰ veſper-

tina ſtudia vocitauit. Nec de ordine & ritu examinis plura dici poſſunt, cum ad alia feſtinet oratio.

Eodem anno 1 4 1 2. cum querelæ iuſtæ & graues à magiſtris, doctoribus, & ſcholaribus Academiæ ad pontificem allatæ eſſent de importunitate & audacia eorum, qui impetum in fortunas Academiæ fecerant: conſeruatorem Academiæ conſtituit Papa epiſcopum Merſepurgium, & decanos duos, vnum Merſepurgenſis, alterum Numpurgenſis ecclesiæ, ijſq; negocium dedit, vt illatam Academiæ iniuriam propulſarent. Et ſi qua controuerſia iudiciaria oriretur, ſine ſtrepitu fori de ſimplici & plano omnis diſceptatio & lis dirimeretur. Qua quidem in re ſi eccleſiaſtica cenſura fortè ſatis roboris non habeat, brachium ſeculare implorari iuſſit. Ab hoc igitur tempore epiſcopus Merſepurgenſis non ſolum ordinarius Vniuerſitatis cancellarius, ſed etiam vnicus principaliſq; conſeruator iurium, priuilegiorum, libertatum, bonorum ac rerum eius extitit. Hos enim titulos principes ipſi etiam Fridericus & Guilelmus, in ſuis diplomatibus illi tribuunt.

Quanta autem fuerit benignitas pontificis & cancellarij erga Academiam, inde æſtimari poteſt, quod exorienti Academiæ canonicatus ſiue præbendas maiores ſex ad alendos profeſſores in theologia & iure aſſignarunt. Ac initio quidem Ioannes X X I I I. duas eiuſmodi præbendas ex Numpurgenſi, alias item duas ex Cicenſi, ac totidem ex Miſnenſi epiſcopatu ad talem vſum deſtinauit. Poſtea verò ſucceſſor eius, Martinus V. cum controuerſia inde extitiſſet, precibus Friderici Ducis ceſſit, & litem

tem ſic diremit, vt duo canonicatus ex Merſepurgenſi epiſcopatu, totidemq; ex Miſnenſi, vnus verò ex Numpurgenſi, & vnus item ex Cicenſi in omne tempus Academiæ præberetur. Quod factum eſt anno Chriſti 1422. Iudicium verò & poteſtas eligendi tales profeſſores ad Rectorem & conſilij Academici aſſeſſores tranſlata eſt. Medicinam porro profitentibus princeps Elector Fridericus, & frater eius Guilelmus anno 1438. duo ſtipendia ex collegio aſſignarunt. Sed nihil neceſſe eſt de ſingulis profeſſionibus in ſingulis diſciplinis explicare, cum non Academiæ, ſed cancellarij duntaxat hiſtoriam perſequar. Hoc certè inter omnes conſtat, ſtipendia in collegijs duobus ex principum ærario depromta cum his eccleſiaſticis beneficijs, quaſi quoſdam neruos Academiæ extitiſſe, & adhuc eſſe. Acceſſerunt non multo poſt ex munificentia principum cum alij cenſus, tum pagi tres, Cotſchina, Mercouicium, & Hoeheida, qui Academiæ in tempus omne tributi atq; dicati ſunt. His ſinguli pænè conſequentes principes ſua addiderunt munera: donec Mauricius & Auguſtus ampliſſimis reditibus, pagis, ſyluis, & tota æde Paulina Vniuerſitatem locupletarunt. De quorum commemorabili liberalitate aliud dicendi tempus eſt. Conſenſum autem inter principes fundatores & cancellarium inſpectorem Academiæ ſummum fuiſſe hinc apparet, quod familiariſſimè de rebus ad communium ſtudiorum vſus neceſſarijs inter ſe communicarunt.

Conſtitutis autem profeſſionibus in ſingulis diſciplinis, & auctis collegijs, incredibile eſt, quanta

ta acceſſio ad docentium & diſcentium cœtum facta ſit. At quod deplorandum eſt, oblata his ipſis Academiæ acceſſionibus atque incrementis tempeſtas quædam eſt calamitoſiſſimi temporis. Quo enim maior frequentia ſtudioſorum extitit, eo longius ſerpſit atq; progreſſa eſt etiam audaciæ & petulantiæ licentia. Edebantur iam non libidinis tantùm & proteruiæ, ſed furti etiam & cædis exempla horribilia. Ac animaduerſum quidem eſt in reos, quoad ſcholaſtica iuriſdictio id fieri paſſa eſt: ſed coërceri tamen proiecta & effrenata cupiditas non ſatis potuit. Quamobrem quod medici boni faciunt, qui periculoſis morbis periculoſas curationes & ancipites adhibent, idem Vniuerſitatis conſilium ſibi neceſſarium eſſe factu exiſtimauit, & decreto ſeueriſſimo coërcendum eſſe furorem præcipitem iudicauit. Matura igitur deliberatione habita ſtatutum tandem eiuſmodi condidit, vt in tempus poſterum ſicarij cancellario in perpetuum carcerem traderentur. Furti verò alicuius conuicti ex albo Vniuerſitatis delerentur, ſi leuius illud eſſet, vel ad eundem Cancellarium mitterentur, ſi grauius eſſet, eiuſq; arbitrio plecterentur. Factum eſt hoc ſtatutum, Rectore Ioanne Heroldo Konigsbergio, anno Chriſti 1466. pridie Calend. VIIbris.

Hac ſeueritate animaduerſionis conſiluerunt nonnihil cædium & furtorum querelæ. Sed vix biennium abijt, cum nouæ inter ſtudioſos & oppidanos turbæ & rixæ fuerunt ſuſcitatæ: quas tamen princeps Erneſtus Elector, & Albertus frater authoritate ſua compreſſerunt. Edicto enim ſanxerunt, ne

vel

vel academicus, vel oppidanus magiſtratus tumultum vllum fieri ſinerent, & ſi quis fortè, ipſis inuitis, exiſteret, cauerent diligenter, vt expugnatione ædium aut collegiorum abſtineretur.

Inciderunt, vt fit, alia horrenda exempla furioſæ libidinis & audaciæ in gubernatione academica, quæ commemorare neq; tempus, neq; locus iſte patitur. Quocirca epiſcopus Merſepurgius, Adolphus Anhaldinus princeps, qui anno 1514. electus eſt, flagitanti Academiæ proprium carcerem, in loco tamen honeſto & decenti conceſſit.

Anno autem ſupra milleſimum quingenteſimum decimo nono, doctores, magiſtri, & ſcholares Academiæ, datis ad pontificem literis, de iniurijs atque moleſtijs ſibi illatis atq; exhibitis queſti ſunt. Etſi enim conſeruatores habebant epiſcopum Merſepurgium ordinarium, & decanos Merſepurgenſis & Numpurgenſis eccleſiæ: tamen hi ipſi nobilium & potentum inimicitias metuentes defendere à vi & calamitate Vniuerſitatem non audebant. Itaq; poteſtatem ſibi dare petiuit Academia alium è gremio ſuo, vt habet diploma pontificium, eligendi, cuius authoritate & patrocinio tuta eſſet. Annuit precibus his pontifex Leo X. & non ſolum conſeruatorem talem liberaliter Academiæ conceſſit, ſed illud etiam priuilegium addidit, vt ne cogatur Lipſenſis ſcholaſticus alibi litigare, quàm coram Rectore ſuo. Ac ſi ad alium iudicem fortè euocetur: non tamen comparere intra duodecim milliaria ab vrbe, ſiue ab Academia compellatur. Adiecit id etiam, vt ſi quis ſtudioſorum inteſtatus moriatur, res eius mobiles

biles præſertim, à cancellario egenis diſtribuantur.

Sed interceſſit pontificiæ conſtitutioni antiſtes Merſepurgius, nulla ſua culpa hanc querelam vſurpari oſtendens. Itaq; I. C. quendam Bartholomæum Pignatium ſacri palatij aſſeſſorem arbitrum à pontifice impetrat. Is intra dies ſexaginta proximos Academiam Romæ cauſam dicere iubet. Idq; niſi faciat, pœnam minatur. Literas citationis antiſtes Academiæ reddit, & ſimul principem Sax. Georgium de re certiorem facit. Princeps improbata actione inſtituta, Academiæ ſuæ patrocinium ſuſcipit, & ius vtriuſq; partis integrum ſeruat. Ab eo tempore Academia, omniſq; res ſcholaſtica magis in tutela ac præſidio principum latuit. Secutaq; eſt hoc ipſo pontifice mutatio religionis ea, quam per ſalutare ſuum organum, Martinum Lutherum, Deus effecit. Attulit hæc mutatio non ſolum eccleſiæ reformationem, ſed politici etiam ordinis in multis partibus vtilem & neceſſariam reparationē. Eò enim iam pontificia potentia proceſſerat, vt etiam in ciuilibus opem ab ea contra Cæſarem ac politicum ſuum magiſtratum peterent & impetrarent ſubditi. Cuius rei inſigne exemplum hiſtoria huius vrbis ſuppeditat, cum de mercatus iure diſceptatio grauis exorta eſſet. Ita ergo factum eſt, vt non amplius appellatus ſit ab Academia pontifex, ſed princeps ipſe rem ſcholaſticam tutatus ſit: ius tamen cancellarij integrum & inuiolatum, vt ante ſemper, ſic deinceps etiam remanſit, nec decretum Academiæ de ſicarijs & furti grauioris conuictis in carcerem cancellarij tradendis vlla ex parte hactenus mu-

tatum

tatum eſt, ſed ad id etiam ſtatuta Academiæ accommodata ſunt.

Cancellarij verò munus in curandis examinibus, & conferendis gradibus nulla temporum varietas interrupit. Quare etiam in ſtatutis philoſophicæ communitatis perſcriptum reperitur, vt quoties Magiſtri more Academiæ promouendi ſunt: Procancellarius à conſilio philoſophico deligatur, ſeruato nationum ordine, eiuſq; nomen ad Eccleſiæ Merſepurgenſis antiſtitem ſiue adminiſtratorem referatur, & confirmatio petatur. Extat ea de re conſtitutio illuſtriſſima Alexandri Sax. Ducis, Merſepurgenſis eccleſiæ adminiſtratoris, anno 1564. facta, qua Communitati philoſophicæ fauore clementiſſimo poteſtas integrè inuiolatèque per omne tempus ſeruanda datur deſignandi procancellarium, qui reuerendiſſimæ & illuſtriſſimæ ſedis authoritate Magiſtrandorum examini præſit, & licentiam conferendi gradum Magiſterij Decano permittat: ea lege & conditione, vt ſecundum obſeruatum hactenus nationum ordinem, à communitate delectus, literis Decani & Communitatis, præſidi, cancellario, & conſiliarijs epiſcopatus reuerentia iuſta commendetur. Qui ſimul ac confirmatus in hoc officij munere fuerit, procancellarius iure habetur.

Hoc grato atq; honeſto munere cum hoc tempore fungar ego: examen iuſtum & vſitatum aperui, in quo cum collegis mihi de ſingulis nationibus adiunctis, inquiſiui in ſtudia & eruditionem eorum, qui Magiſterij gradum petiuerunt, & quantum in ſingulis philoſophiæ partibus conſecuti ſint, primum

ſecretò, poſtea etiam publicè exploraui. Tum iudicia etiam ſingulorum profeſſorum adhibui. Ac cum naui, induſtrij, & idonei omni ex parte reperti ſint: nunc tandem in hoc publico actu eos produxi, vt præmia ſuæ induſtriæ meritosque honores conſequantur.

Quod igitur fauſtum ac felix ſit, nunc authoritate ea, quam ab ordinario Academiæ cancellario, poſtulato Adminiſtratore Eccleſiæ Merſepurgenſis illuſtriſſimo, domino meo clementiſſimo acceptam habeo, in conſpectum adductis candidatis 12. omnibus & ſingulis licentiam accipiendi inſignia magiſterij do, tibi nempe N. tibi verò ſpectabilis vir, philoſophicæ communicatis Decane, M. Ioannes Neldeli ornatiſſime, poteſtatem permitto ac trado decernendi, tribuendi, & addicendi eiſdem gradum, honorem, titulum, iura atque inſignia communitatis noſtræ ſumma, ac renunciandi eos voce clara & quæ audiri ab omnibus poſsit, philoſophiæ veræ, caſtæ & ſalutaris Magiſtros, in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus ſancti.

Expleui officium, quod mandatum fuit, exitumque impoſiti muneris expediui. Supereſt aliud nihil, quam vt grato animo perſequar nomen eius, à quo mihi hæ partes fuerunt datæ. Is eſt reuerendiſſimæ ſedis Merſepurgiæ poſtulatus adminiſtrator, Iohan. Georgius, Dux Saxoniæ, dominus meus clementiſſimus. Huic ergo poſt Deum immortalem, cui principaliter omnis gratia & honor debetur, gratias debita reuerentia & ſummiſſione ago. Tum præſidi

etiam,

etiam, cancellario, & consiliarijs episcopatus omnibus gratiam memori mente persoluere, quocunq; loco & tempore paratus sum. Postremò Deum misericordem fontem omnis sapientiæ & felicitatis oro, vt illustrissimum Ducem Saxoniæ, Fridericum Guilelmum, tutorem & administratorem electoratus Saxonici, dominum nostrum clementissimum, principesque Saxoniæ omnes: & in his Ioan. Georgium postulatum episcopatus Mersepurgij administratorem, Academiæque nostræ cancellarium, & patronum inclytum, tum licentiatos nouos, ac cœtum hunc docentium ac discentium regat, seruet, ac foueat, vt grata ipsi, iucundaq; in primis, tum nobis etiam vniuersis & singulis vtilia ac salutaria sentiamus, dicamus, & faciamus.

F I-N I S.